



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

II. An promissæ, datæque sint Petro principaliter Claues Sacri primatus
Monarchici?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

res è plebe lectos; quæ est Democratia. Sic & Ego Christus Monarcha elegi Apostolos; & vocavi LXXII. Discipulos. Sic rectè & meus in terris Vicarius habet Episcopos, & Parochos.

II. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHERANI hi esse volunt regimen Ecclesiæ Democraticum; Illi Aristocraticum:

CALVINISTÆ Mixtum. Vide *Luthero-calv. p. 2. q. 3.*

CHRISTVS. I. Democratiam Autor Ecclesiæ nouæ respui. Nam, Ioan. 15. *Ego, vt Monarcha, elegi vos, & posui. &c. Et vos similiter agetis.* Ideo Paulus *Act. 15. transiens Syriam & Ciliciam, precipiebat populis, vt custodirent precepta Apostolorum & Seniorum, id est, Ecclesiæ, quæ in his consistit vno sub Capite.* Hinc iustifici *Mat. 18. Dic Ecclesiæ.*

II. Nec solum in Ecclesia Aristocratiam volui. Ideo, *I. Cor. 12. Eph. 4. Deus in Ecclesia posuit primum Apostolos, deinde Prophetas, tum Pastores. &c.* Vnde *Pl. 44. Pro Patribus tuis, Apostolis, nati sunt tibi Fily, Episcopi: Constitues eos Principes. &c.* Et Ego dixi, *Ioan. 21. Pasce oves meas, regimine vt pote sacro & supernaturali.*

III. Monarchiam istis permistam e. legi, qua mea regatur Ecclesia.

1. Quia qualis est Cœlestis hierarchia Angelorum; talis & terrestris fit fidelium; at in illa fuit monarcha Lucifer post Deum; nuncque est Michael: Vnde *Apoc. 21. Vidi Ierusalem nonam descendentem de celo. &c.*

2. Quia Ecclesia mea est *Cant. 6. Acies ordinata: cui Dux vnus: Est, Cant. 7. Mulier speciosa, cui caput vnum vir: Est, Dan. 2. Regnum; cui Rex vnus: Est*

Ouile, Ioan. 10. At fiet Ouile vnum & vnus Pastor. Est I. Tim. 3. Domus & vna Nauis; quibus vnus est Gubernator. Vnde dixi, Luc. 12. Quis putas est fidelis Dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt &c. Et quærebat Petrus: *Domine ad nos dicit parabola ista, an ad omnes? Ad vos, inquam, & de Vno. Ideo Si dixerit malus ille Seruus in corde suo. &c.* Pariter Ecclesiæ vnus sit Rector, Pastor, & Caput.

3. Monarchia optimè conseruat Vnitatem; Esse autem in Ecclesia debet, *Eph. 4. Vnus Deus, vna Fides, vnum Baptisma.* Verum ita, vt non sit dominatus gentilis, *Luc. 22. sed qui inter vos maior est, fiat sicut minor: & Praecessor, vt & cetera, Dux, Princeps, fiat sicut Ministrator.*

4. Exemplum dedi vobis: *Sicut Ego non veni ministrari, sed ministrare.* Et: *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Et tamen, *Ioan. 13. Vocatis me Magister & Domine, & benedictus, sum etenim. &c.* Vide in *Luthero-calv. p. 2. q. 3.*

QVÆSTIO II.

An promissæ, Datæque sint Petro principaliter Clauis Primatus Monarchici sacri?

III. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHERANI: Non Petrus est Petra; sed Vel Fides, fideique Confessio; Vel Omnis Christi fidelis:

Aut CALVINISTÆ, Christus est Petra. Vide *Luthero-calv. p. 2. q. 4.*

CHRI-

CHRISTVS. I. Ego dixi, Mat. 16. *Tu es Petrus & super Hanc Petram*; non quâ persona particularis es, sed quâ Caput & Pastor: Et sic *Petrus es Petra*. Syriacè: *Tu es Cepha*, & *super hoc Cepha adific.* &c. Vocis itaque feci allusionem, vt vox *Hanc*, referri debeat ad *o xai n pi re*, atticum. Huc omnes per Euangelium sparsæ Petri Prærogatiue spectant, eiusque Primatum luculentè demonstrant. De quibus vide *Luthero-cal. par. 2. quest. 7.*

II. Ego verò tamen sum Petra, ac XII. fundamentorum fundamentum princeps & vnicum; hic tamen non ad Me istud, *Hanc*, referre potui; sed debui ad proximum sermonis mei Petrum, iuxta nominis allusionem. Et me *Petrus* seu *Petra confitens* appellabat sic: *Tu es Christus Filius Dei viui*. Et Ego ipsum dixi Petram, non Me: itaque vocem, *Hanc*, ad eum, non ad me referebam. Neque dixi, *Aedificauit iam fidem sc.* sed *Aedificabo Ecclesiam*, congregationem Fidelium.

IV. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHERO-CALVINISTÆ. Nihil Mat. 16. promissum est Petro, nisi vt Patris auditor erat. Et promissum illi est, quod omnibus, sc. ligandi Soluendique potestas. Vide *Luthero-caluin. quest. 5.*

CHRISTVS. Dixi: *Dabo tibi Claves regni celorum.* &c. *Tibi Simoni bar. Iona. Tibi*, ad quem aiebam: *Ego dico tibi, Tu es Petrus.* &c. Et quia es; & quia *adificabo* ideo *dabo tibi.* &c. tibi Sic, vt nulli alteri. *Tibi*, cui postea dixi: *Vade post me.* &c. At is tu Petrus eras solus.

V. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHERO-CALVINISTÆ. Promissi Exhibitiō nulla Petro magis, quam cuiquam facta est Apostolorum. Vide *Luthero-caluin. p. 2. q. 6.*

CHRISTVS. Ego verò huic personæ Petro, ceu Capiti ac Pastori Vniuersali, vt Promissi, sic & Dedi Claves verè, principaliter & immediatè. Idcirco sic personam eius designaui, vt nullus Notarius magis describere possit testatorem: A substantia personæ, *Tibi*. A nomine natali: *Beatus es Simon*. A genitore, *Bar-Iona*. A nomine nouo: *Ego dico Tibi, quia Tu es Petrus*.

2. Neque nomine Ecclesiæ Claves accepit; sed suo ipsius solius. Quia non erat Legatus aut Vicarius Ecclesiæ: A quo enim factus aut constitutus?

3. Dicenti, *Tu es Filius Dei viui*; illi tradidi Claves soli: Sicque, vt notat S. Hieronymus, *mercedem accepit Confessio*.

4. Cui post pauillum dixi: *Vade, post me Satana.* &c. eidem & dixi: *Tibi dabo Claves*: Deditque dicens: *Pasce oves meas*.

5. Illi dedi eas, cui dixi: *Non potes me sequi modo; seque is autem postea*. De quo Sanctus Ambrosius lib. de Isaac, cap. 3. *Claves commiserat regni celorum; & sequelam imparem indicauit*.

6. Neque etiam par est ratio cum Petro & Abraham; quod, sicut, Rom. 4. *Abrahæ reputata est Fides ad iustitiam*; sic & omni Credenti: Pariter, vt Petro tradidi Claves, sic simul omnibus fidelibus.

Quia dispar materia est, etsi par forma argumenti.

E; Nam

Nam fides naturâ suâ ducit ad iustitiam & iustificat: non autem ad Clauum acceptionem: poteram namque eam Petri Confessionem sexcentis modis alijs remunerari.

VI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ. Vt sint Petro datæ CLAVES; non hæc tamen significant Principatum Ecclesiæ. Vide *Luthero-caluin. par. 2. quest. 5.*

CHRISTVS. 1. At verò metaphora Clauum in Scriptura significat Principatum. Vt Isa. 22. *Dabo Clauem domus David super humerum eius, & aperiet, & non erit, qui claudat, &c.* Quod est principari; non, prædicare. Atque etiam, Isa. 9. *Factus est PRINCIPATVS super humerum eius.* Teste Apoc. 3. *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet Clauem David, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.*

2. Quid? Sic Vfus obtinet. q. vrbis tradit clauem, Dominum tradit.

3. Dixi Petro: Mat. 18. *Quodcumque ligaueris, erit ligatum.* Ligare autè in Scripturis est Præcipere & Punire. Præcipere: vt Mat. 23. *Alligant onera grauiâ.* &c. Punire: vt Mat. 18. *Quacumque alligaueris super terram.* Itaque homines obligantur legibus directiuis & vindictiuis.

QVÆSTIO III.

An soli Petro sit vniuersa Ecclesiæ Pastura commissa?

VII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVIN. Non soli Petro, sed toti Ecclesiæ Clauem sunt Promissæ ac Datæ.

CHRISTVS. 1. Ego dixi: Ioan. 21. *Simon Ioannis, Pasce oues meas.* 1. Hoc vo-

cabulum solius est Petri; cui & respondet mysterium Petræ in promissione Clauum, vbi Petrum dixi Petram.

2. Cui dixi: *Disce me plus his Apostolis?* Eidem commisi quoque *plus his*, sc. *Pasce oues meas*; idque item *plus his*, tu vnus ac solus.

3. Quem ter idem interrogauit; quòd ter negaturus erat Petrus solus, eidem dixi, *Pasce.*

4. Qui ter interrogatus *contristatus est Petrus*; quique respondit, *Tu scis Domine quia amo te*; eidem personæ dixi, *Pasce.*

5. Cui dixi: *Cum senueris, extendes manum.* &c. Quæ sciscitabatur. *Hic autem quid?* Cui respondi, *Quid ad Te? Tu me sequere*; illi ipsi dixi soli, *Pasce.*

Vnde S. Amb. in vlt. Lu. *Quia solus proficitur ex omnibus; omnibus antefertur.* Ita & cæteri Patrum.

VIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALV. *Pasce*, id est, Doce Gregem; & non est idem quod Rege, castiga. &c.

CHRISTVS. Luc. 12. *Quis putas est fidelis Dispensator ac prudens, quem constituit Dominus super Familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* Is quidem, qui cibum ministrat; at verò vel in primis ille, qui cibum prouidet atque procurat: quod Præpositi est. Quocirca & huius proprium est *Pascere*, i. Regere præceptis, ac pœnis. Actus enim Pastoralis sunt Ducere, Tueri, Præesse, Regere, Castigare. Id Pedum indicat pastorale. Vnde Isa. 44. *Pastor meus es Cyre*, id est, Rex: Idemque & in græco significat *ποιμαίνω*: pascō, rego. Sic Patres interpretantur.

IX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHE-